

in viscera recipiunt. Pugnare item cum ratione uidetur id, quod, nisi fallor, docet, non esse pestem illam, cum pauci extinguuntur & non tota urbs, ac prouincia aliqua integra funeribus repletur. Nam etiam sine aeris corruptione, etsi non ita passim, multi tamen possunt malignos humores cogere, qui putrefacti ueram pestem in aliquo gignant: quae deinde pestis particularis, contagione ad alios serpente pestem absolutam, & uniuersam efficit. Morbi enim genus & uim atque essentiam, non ægrorum aut intereuntium multitudine, aut paucitate (numerus enim substantiam non constituit) sed ipsius morbi proprietatibus perpetuisq; causis, aut effectibus metior. De qua re tota rectius equidē iudicare possem, si tuos de putredine libros, quos iam ante xx annos publice literatis promissisti, tandem aliquando uidere possem. Quos quidem libros, ut non sine multorum, tuī cupidorum, iactura nimis diu premis, ita Philosophiae ac Medicinæ studiosi possunt à te, suo quodam iure efflagitare. Vale, mēque, ut facis, amā

*Ex solitudine mea Pasconiana, apud Morauos, pridie  
Kal. Mart. M. D. LXXIX.*